



Ioannes ille natus est in nobilissimo oppido Schuueinfort Orientalis Francie, qui cum apud suos literarum elementa percepisset, tandem maiores ui ingenij excitatus, Viennam nobilem illam superioris Pannoniae urbem cum æqualibus profectus est. Nullum enim patrum memoria celebrius in Germania erat gymnasium, ob rerum omnium abundantiam, & doctissimorum hominum incredibilem multitudinem. Ibi Ioannes, ut erat acri ingenio, statim philosophiae præcepta edidicit. deinde sub Conrado Celte eximio tum Philosopho et Poeta etiam pliores literas magna cum auditate arripuit. natura enim & ingenij ui ad ea studia sua sponte impellebatur. Et quia unum magistrum & auctorem Apollinem utriusque studij Poetices & Medicinæ fuisse credebat, etiam Medicinæ professionem mansuetiorib. Musis adiunxit. In his pulcherrimis studijs tantam famam tantamque cum laude gloriam consecutus est, ut anno 1500 Viennam in uniuersa Doctorum turba nemo Cuspiniano facundior aut eloquenter haberebat. Itaque Maximiliani iussu Ioanni Stabio Poete lauream cœtulit, & in frequenti cōsessu 1502 Poetices studiū omniū admiratioē cōmendauit. Hanc dicēdi gratiam corporis statura & dignitas cōmendabat.